



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptura, Et Vera Catholica  
Doctrina, Atque Observatione Vniuersalis Christianæ  
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

**Bucer, Martin**

**Genevae, 1613**

Quomodo cultus præstari possit Deo temporalibus bonis, extruendo &  
ornando Tempia, &c. 21

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34315**

At cuius perspicuum est (Per se consideratum) hoc loco idem significare, quod (abique serua p[re]catione ad Deum) iam verò ne ipsi quidem Aduersarij dicent, quòd Ieiunium sine seruis precibus ad Deum, & consequenter sine dolore ac p[en]itentia de peccatis, sine vera ac fidei conuersione ad Deum, sit bonum opus, & pius cultus. Quid igitur habent Aduersarij, cuius Librum Reformationis accusent.

Postea quòd ponunt Librum docere, quòd Ieiunium non debeat cuiquam per homines imponi, id penitus non habetur in Libro: sed p[re]sicos Episcopos, suos quidem diligenter ad Ieiunium cohortatos esse, sed conscientias reliquisse liberas, neque damnasse eos, qui ieiunare aut nollent, aut non possent: id quod verum esse nouerunt Aduersarij.

Non minùs improbè ab illis factum est, quod condemnant id quod Liber docet, ab lucendos esse homines & abarcendos ab ea opinione, qua ieiunando promereri se aliquid à Domino persuasi sunt. Nam aliquid à quopiam promereri, vt omnibus notum est, æqualem æstimationem requirit, inter meritum ipsum & id quod eiusmodi merito mercedis loco debetur: eumque, à quo promeritum est, obnoxium reddit, id ei qui promeruit vel faciendi vel persoluendi. Deum vt exoremus oportet, idque in nomine Christi, quicquid boni nobis ab eo obtingere debet: promereri verò ab eo nihil possumus. Et quomodo superstitiosus non sit, qui eiusmodi meritum ieiunio suo, vel vlli alij operi attribueret?

#### Quarta Pars.

*Quomodo cultus prestari possit Deo temporalibus bonis extruendo  
& ornando Temp[er]a, &c.*

#### C A P. XXI.



**Q**UARTA Reprehensio est, Quòd dicat liber, Esse superstitiosum, impium, & peruersum sacrificium, velle Deo bona offerre temporalia, pro extruendis aut dotandis, aut illustrandis aut decorandis Templis, altaribus, Monasteriis, & quicquid impensarum in ligna lapides, & ossa erogatur, &c.

#### *Responsio.*

**L**Egatur totus Articulus de Sacris Oblationibus, & videatur rursus quomodo Archiepiscopi sui pia scripta tam impudenter peruertat. Liber enim sic ponit, quem locum ipsi mutilarum adduxerunt. Quapropter offerre Dei magna donaria, ad ædificanda, ornanda, & ditanda templa, altaria & monasteria vltra quàm id ad propagandam Christi Religionem conferat, idque ea falsa opinione, quasi hæc Deo multò magis grata sint, quàm si eiusmodi dona in pauperes propter Christum conferatur, nequaquàm ea sacrificia sunt, quæ requirit Deus, aut approbet, sed quis magis ira Dei prouocetur, Hac sunt ipsa libri verba.

Quibus

Quibus manifestè ea tantummodo temporaliū bonorum oblatio reprehenditur quæ ad Tempła, altaria, Monasteriāque extruenda: ornanda, & ditanda impenditur, ad veram autem Religionis Christi propagationem non confert, Atque ex ea superstitione, ac falsa opinione, quasi ea Deo multò magis accepta sit, quàm si in pauperes propter Dominum conferretur. Aduersarij verò dicunt Librum superstitionis damnare, quicquid ad Tempła, altaria, & monasteria extruenda, ornanda, & sustentanda erogatur. Qua verò pietate, qua conuenienti obedientia erga suum Archiepiscopum, imò qua publica honestate & probitate id ab ipsis factum sit, vnicuique Christiano in promptu est videre.

### Accusatio decima.

#### *De premio & retributione bonorum operum.*

#### CAPVT XXII.

**I**N hoc articulo dicunt Aduersarij, Christum Dominum bonis operibus credentium promittere vitam æternam, Matth. 19. & 25. & asserunt innumera esse testimonia, quæ hanc fidem confirmant, quòd Deus bona opera remuneret vita æterna.

#### *Responsio.*

**C**onsideret hæc testimonia quilibet Christianus, & deprehendet, Promissile quidem Christū Dominū omnibus iis, qui ex vera fide bona opera faciunt, quod sint in vitam & regnum Dei introituri, ac hæredaturi, quodque ipse velit talibus vitam æternam rependere, sed tamen, vt ipsi Aduersarij latentur, ex gratuita dignatione suæ clementiæ, & per meritum Domini nostri Iesu Christi. Hoc verè Liber apertè docet, neque eum istius doctrinæ pudet, imò iubet, vt ea diligenter exerceatur & inculcetur hominibus. Quod legatur in Articulo de bonis operibus, quæstione Quarta, vbi sic habetur.

Tertiò, Mandatum Dei est, vt amplissimæ promissiones eius omnibus prædicentur, quemadmodum ait Paulus I. Timoth. 4. *Pietas ad omnia utilis est, & quæ promissionem habeat vitæ presentis & futuræ.* Et paulò post hæc verba. *Ita contra remuneratur Deus opera eorum qui poenitentiam agunt æternis pæniis.* Vnde rursus apparet quàm sine iusta causa Aduersarij Librum Reformationis insimulent. In memoratis enim verbis satis clarè expressum est, Deum opera suorum etiam in præsentis vitæ & æternæ gloria remunerari.

### Vndecima Accusatio.

#### *De Catholica Ecclesia.*

#### CAP. XXIII.

**R**IMVM omnium oppugnant descriptionem Ecclesiæ propositam in Libro Reformationis, nempe quòd visibilis Ecclesia Dei sit congregatio illorum, qui verbum Dei nobis per Christum & Apostolos commendatum veraciter credunt, & per Spiritum